

D. M. S.
IVSTA FVNEBRIA

SERENISSIMAE PRINCIPI AC DOMINAE,
DOMINAE
CHRISTIANAE
FRANCISCÆ
HENRIETTÆ,

Principi Nassouiae, comiti Saraepontis ac Sara-
vverdenae, Dominae dynastiarum Lohrae, Wisbadenae
& Idsteinæ

Serenissimi Principis nostri

CAROLI

Serenissimae ac Celsissimae quondam Principis nostrae,

CHRISTIANÆ
WILHELMINÆ,
FILIAE PRINCIPI VNICAE,

vniceque dilectae,

inopinata, sed sua beatissimaque morte

Vsingae, d. XIX, Decembris A. R. S. MDCCXLI.

extinctae,

a Gymnasio Idsteinensi,

d. XI, Mensis Januarii, A. R. S. MDCCXLII.

Solemni ritu persoluenda

indicit

M. JO. MICH. STRITTER,
Gymnasii Rector.

IDSTEINAE NASSOVIORVM,

Excudebat Erdm. Andr. Lyce, Aulæ typogr.

*Vollw. Waldeck. (10.)
Abon. Sup. Vol. 3. Frankfurt. 7*

*Lecty. magis magis
Ch. Franc. Henr.
nov. 185, 48*

II. Rhen. sup.

115, 52



Plin. Ep. V, 16, 1.

Tristissimus haec tibi scribo, Fundani nostri filia minor est defuncta; qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate dignius vidi.

§. 1.



Alendis Januariis, quem diem Serenissimo PRINCIPI nostro natalem celebramus, et funebria verum iam ac tertium indicam, triste subeo ministerium. Publica prius, an mea, querar fata? cui nondum, ex quo huic scholae rector praesse iussus sum, (quod A. R. S. supra millesimum & septingentesimum, duodequagesimo (a) factum gratus recordor,) nondum licuit esse tam felici, ut vacua luctu novi anni sacra celebrare possem,

§. 2. Nam anno *undequagesimo* ineunte, CAROLINAM AMALIAM, CAROLI nostri optimam matrem, in secessu *Bibericensi* die XI. *Octobris* defunctam, Gymnasium lugebat (b) Anni *quadragesimi* principio, ex longa & graui valetudine vixdum explicatus, (ignoscant Serenissimi manes, obscurissimum nomen interferi!) ipse nondum poteram scribendi officio fungi (c). Initio anni *quadragesimi primi* CHRISTIANAE WILHELMINAE, Serenissimi PRINCIPIS nostri tranquillissimae uxori, in arce *Idsteinensi* die (seu nocte potius) XXVI. *Novembris* demortuae, iusta soluebamur (d.)

§. 3. Otium hinc iam nobis, post tantarum MATRVM funera, a luctu & lacrymis fore, sperabam; iamque bona verba bono die dicenda meditabar:

a) Vid. S. R. Scholarchae, D. J. C. LANGII, Programma de studio ac studio didactico d. 30. Junii, 1738 publicatum.

b) Vid. Programma meum funebre.

c) Vid. Programmata doctissimi Prorectoris nostri, J. M. WENCKII, Anno 1739 & 1740. edita, & mea observatorum scholast. continuatio septima.

d) Vid. Programma meum funebre.

dirabar: cum ecce! O spes hominum fallaces! rumor primum, tum nuntii heu! nimium certi, CHRISTIANAM FRANCISCAM HENRIETTAM subita morte, die XIX. Decembris, qui Abrahamo sacra est, extinctam Visingae, adferebant; neque multo post, eandem, die XXII. Decembris, quem fasti Beatae tribuunt, beatissimae matris tumulo illatam esse, cognouimus. Requiescat a luctu, oppressum ab aquis, intra praecordia latitantibus, corpulculum! requiescat, in dulcissimo matris gremio, a lacrymis! Requiescat a malis, in iucundissimo Abrahami sinu (e) animula beata! Requiescat CHRISTIANA FRANCISCA HENRIETTA, Serenissimi PRINCIPIS nostri FILIA vnica, vnice dilecta, beatissimae matris exemplar!

§. 4. At VIDVO PATRI quo tandem haec animo ferenda? quanto putabimus moerore adfectum? qui recentissimum ex obitu desideratissimae coniugis dolorem, nulla re alia magis, quam filiulae superstitis adspectu leniebat. Haec enim CHRISTIANAM WILHELMINAM principem heu! quondam nostram, non vultu solum, sed morum quoque amabilitate referebat: haec totam matrem mira similitudine exscripserat (f). Hanc incolumem habere, hanc contueri, hanc adloqui, hanc viduis adhibere mensis, pro solatio fuit: quae nunc omnia doloris lenimenta perierunt.

§. 5. Et nihilne, o ciues! nos adpropinquantia PATRIAE PATRIS luci sedique natali, nihil funera mouent? nihil, quod, exiguo annorum interuallo, omnes fere, praecipuas certe, CAROLI nostri domos arcesque mors pulsauit? Quid? Octobri MATREM, Nouembri CONIUGEM, Decembri FILIAM, modo quinquennem, (calculos pone: vix alterius adiuuendum diei vsuram inuenies superadditam.) mors abstulit. Et, ne tardam credamus, quatuor hiemes sunt. O tempora funesta! O domos! VBI (g) sine filia, sine matre sine coniuge, laetos agat PRINCEPS natales? VBI iucundum VITAE (g) diuersorium PATRIAE PATRI dabitur, cum Visinga filiam, Bibericum matrem, Idsteina coniugem extinxerit? Quocunque animum, oculos, gressus refert Serenissimus PRINCEPS, ipsi videntur parietes conclamare: hic matrem, illic filiam, isthic coniugem amisisti. VBIque leti vides imaginem: nihil inter amoenissimos vitae secessus & horrificum mortis templum, praeter titulum, interest. (h). Ita principes habitant!

§. 6. Perhorrescimus merito fidi Nassouienses ciues: nec eo quisquam nostrum dementiae processerit, vt, cum insanientis sapientiae consultis (i), fortuito aut temere haec fieri arbitretur (k). Nam, quemadmodum, qui non erat, sua sponte aut forte quadam HVMO excitari, aut existere HOMO, animal rationis & consilii plenum (l), non potuit: ita, qui DEVM, humani generis auctorem, a vitae mortisque arbitrio remouent, rationis at-

B

que

e) Luc. 16, 22. sqq.

f) Plin. Ep. 5, 16, 9.

g) V. B. I. & β. i. v. (Bis, vitae) prima funestarum arcium elementa.

h) Respicitur ad celeberrimi & elegantissimi viri, D. Dan. WILH. TRILLERI, Archiatri Nassouici, Poemata: quorum pars altera secessu Bibericensi aperitur; pars Prima templo mortis finit. conf. Virg. Aeneid. 1, 159. sqq. Est in secessu longo locus, insula ---, tum siluis scena coruscis desuper: horrentique atrum nemus immines umbra, conf. Aen. 3, 229.

i) Rom. 1, 22. Horat. Od. 1, 34, 2.

k) ἀνορεδίας Sap. 2, 2. coll. 5, 4.

l) Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, praeclara qualitate generatum esse a supremo Deo, Cic. de Leg. 1, 7.

que orationis beneficio turpissime abutuntur. Summam enim vti *benevolentiam*, ita *potestatem* DEI, summam *rationem*, summum *consilium* (m) hic versari, quicquid *spiritus* illi male *fortes* (n) oggiant, ipse malarum mentium *horror*, ipsa bonorum *expectatio*, ipsa *domini* aliquando sentiendi necessitas, ipse denique sanae rationis *usus & consulta* produunt. Quibus non modo maximum adiuunt pondus; sed etiam, si animo proficendi contulas, comprobandis sola sufficiunt *indubiae diuinitatis oracula*.

§. 7. *Maneat* ergo in nostris luctibus animo fixum, quod nulla religionum interuicere turba potest, *maneat*, DEVM esse, qui hominem condiderit, & suo faueat operi: *maneat*, non viuere nos, vt edamus; sed immortalitati natos: *maneat*, DEVM agnosci, vt colatur; nec defore ipsum homini, nisi fraude inexpiabili repudiatum: *maneat*, piacula omnes mereri, atque expiari crimina oportere: *maneat*, expiandi modum ab homine per se explorari non posse; at diuinitus prouideri: *maneat*, in hunc potissimum finem factas a DEO litteras esse profectas; easque, quantum cuique satis est, posse intelligi: *maneat*, denique, nihil humanae mentis somnia, nihil vllas contra DEVM auctoritates valere. Haec si animo nostro fixa mancant, iam sine vlllo metu, sine vlllo horrore, horrificam ante vitae mortisque scenam adibimus; his autem destituti praesidiis, vel palatinis in arcibus, vel Maecenatianis in hortis, vel mediis in Baiis orcum inuenient (o).

§. 8. Amplissimam quondam *domum*, (quam a palatio exquillas vsque fecerat, & primo *transitoriam*, mox, incendio absumtam restitutamque *auream* nominauetat,) quum absolutam dedicaret *Nero*, haecenus comprobasse memoratur, vt se diceret, quasi HOMINEM tandem habitare (p). Si nominis huius vim, Aenobarbe, intellexisses; &, quantum ista domus pauperum tabernas magnificentia vicit, tantum tu ceteros humanitate mortales superauisses, (domino enim domus honestanda est (q)); *felicem* te & hominem praedicarem (r). Verum ista *consulis romani*, cuius tui, te praecepta fugiebant; nec, quorum tu hominum esses, pensi vnquam habuisti. Quod adeo inter omnes constat, vt qui *Neronem* dicunt, non hominem nobis, sed thesaurum inhumanitatis atque immanitatis memorare videantur. Interim hoc tibi damus: *transitorias* esse principum, quantumuis *aureas*, domos; &, homines ibi habitare, mors arguit. *Auream* vero *domum*, quae reuera hoc nominis mereatur, imo *urbem*, coelo descensuram Christiani aliunde nouimus (s). Quo autem remotior haec a Nerone, inimicissimo Christianorum, eiusque sensu fuit cogitatio: eo commendatior, cum veritatis, tum utilitatis atque iucunditatis causa, sapientiae adsectatoribus semper fuit.

§. 9. Etiam si enim, quod in Aenobarbo modo videbamus, nunquam defuerunt, qui HOMINIS titulum vitiis suis (t), voluptati ac libidinibus praetexerent

m) Dan. 4. 14.

n) Eph 6, 12.

o) *Orcus* vobis ducit pedes. Suet. Necon. 39. rapacis *orci*, sine destinata, aula diuitem manet herum. Horat. Od. 2, 18, 30.

p) Sueton. Nerōn, 31. & 39. vbi de hac domo:

Roma domus fiet: Veio; migrate Quirites;

Si non & Veios occupat ista domus.

q) Cic. Off. 1, 39. vbi, *qualem hominis honorati & principis domum placeat esse*, disputat.

r) *Ἄν ἡνῶς τί ἐς ἄνθρωπος, ἰουδαίων ἄν.* Philem. fragm. p. 358.

s) Apoc. XXI. 2 sqq. & versu 18, 21.

t) *Homines* sumus, non dii. Petron. p. m. 85. (sed conf. 2. Petr. 1, 4.) *f* teor, *me* saepe peccasse: nam & *homo* sum, & adhuc iuuenis, Petron. sp. m. 163.

texerent (u), monstra potius, quam homines dicendi (v): aliistamen, & magnam partem melioribus, vti sapientiae (vv), sed cancellis suis circumscriptae (x), libertatis ac felicitatis (y) habere significationem; ita omnium fere officiorum (z) memoriam, magnumque, huius ipsius, quam prae se fert, mortalitatis solatium *HOMINIS* vocabulum continere videbatur. Quae vero, cum explicare omnia nimis longum, neque huius loci sit; & partim alibi dicta meminim(a): *extremum illud, quod luctus nostri lenire acerbiter possit, planius paullo adhuc exponamus.*

§. *Vsus est hoc solatio, quod hominis adpellatio suggerit, nuntiata filii morte, Anaxagoras, quem plurimum veritatis peruidisse, Lampfaceni epitaphio celebrant (b). Vsus est eodem, quum Titii, ex liberorum obitu, dolorem*

B 2

sanare

u) Sic apud Iuvenalem Sat. 5, 280 sqq. adultera, criminis sui aliquem ius dicere colorem: - - - olim conuenerat, inquit,

Vt faceres tu, quod velles: nec non ego possem

Indulgere mihi. Clames licet, & mare coelo

Confundas: homo sum.

Nec longe plebs Germanorum abluat, quae amicas suas vocat, indignissimo ausu, *homines*. Hanc Plinius quoque Secundus notam meruit, qui lasciuam hendecasyllaborum ita excusat: rideo, iocor, ludo: utque omnia innoxiae remissionis genera breuiter amplectar, *homo sum*. Ep. 5, 3, 2. (conf. Eph. 5, 3 sqq.) Idem censemus de illo *Plauti*, Merc. 2, 2, 47. fecere tale ante alii spectati viti. *Humanum* amare est, *humanum* autem ignoscere est: nec non de illo *Terentii*, Adelph. 3, 4, 24. Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia, *humanum* est.

y) *Aristippo* ne respondendum quidem duco, quem corporis semper voluptates tuentem, nihilque aliud, quam ventri & veneri seruientem, nemini dubium est, *hominem* non fuisse. *Laëti*. Inst. 3, 8, 6. Discordia, non *homo*. *Petron*. p. m. 47. γενήσθαι κτήσιππος, ἐν ἀνθρώποις. *Menandr. fragm.* p. 136. (Ctesippus, Chabriae filius, luxu diffluxerat.) ἔραυυλα, κ' ἐν ἀνθρώποις, καὶ πλῆμενε, ὡς τὰ ἱερῆα, ἐν ὅταν ἡ καίρος, τοῦθις. *Philem. frag.* p. 346. conf. *Iac.* 5, 5. ἀνθρώπος ἐκλήθη, ἢ καθάρματα. *Diogenes Laërt.* 6, 32. &c.

w) *Homo* est, vult fieri liber, *Plant. Trin.* 2, 4. 161.

z) *Ἄνθρωπος εἶναι, μή ποτε θεός ᾖ, τι γίνεται.* *Simonides* ed, *Lyric. Commelin.* p. 105. Quae causa *DEVS* haec ita faciat, nolo a me requiras. *Homo* sum, non intelligo secreta *DEI*, inuestigare non audeo, & ideo etiam attentare formido. *Salustianus de gubernat. Dei Lib.* III, p. 36. (citante *J. G. Albrecht*, *Contr. Francof. philoponemate primo de docta ignorantia* p. 23) Summi enim sunt, *homines* tamen. *Quintil.* 10, 1, 25. (vbi Gesnerus monet, de hac formula a *Buermanno* ad *Petron.* 75 agi) Nec philosophis (putent esse credendum.) quod errare poterint, quia & ipsi *homines* fuerunt. *Laët. inst.* 1. 6. 6.

y) *Homo* inter homines capite aperto ambulo. *Petron.* p. 63. *hominem* inter homines feci p. 85. Patrono meo cessa bene quiescant, qui me *hominem* inter homines voluit esse. p. 43. Sed tamen & illud notandum: & serui *homines* sunt. p. 79. conf. *Philem. fragm.* p. 350 & 368. de *homine* (cliente) a quo *homagium*, videantur *ICri*: de *homine* *DEI* theologos vide. Nos jam nimii videmur.

x) Vid. *Cicero* de officiis passim.

(a) Programmata funebri. *CAROLINAE AMALIAE.*

b) *Valerius Maximus* V. 10. ext. 3. Nec *Anaxagoras* quidem suppressendus est. Audita namque morte filii, nihil, inquit, mihi inexpectatum aut nouum nuntias: ego enim illum ex me natum sciebam esse mortalem. Has voces vtilissimis praeceptis imbuta virtus mittit: quas si quis effraciter auribus perceperit; non ignorabit, ita liberos esse procreandos, ut meminerit, his a rerum natura & accipiendi spiritus, & reddendi legem dici; atque ut mori neminem solere, qui non vixerit, ita nec viuere aliquem quidem posse, qui non sit moriturus. *Haëtenus Valerius Maximus.* Conf. *Cic. Tusc.* 3, 13. qui de uno filio *Anaxagorae* cum *Valerio* consentit: filios *Diogenes Laërtius*, duo filios *Aelianus hist. var.* 3, 2 (ad quem *Schefferus* & *Kühnius* videantur,) memorat.

❁ (6) ❁

sanare vellet, *romanae pater eloquentiae* c). Vfus est, quum hic ipse orator filiae mortem immoderatus ferret, sane quam grauius *Salpicius* (d). Stoicorum denique sapiens, *Epietetus*, quem parum abest, quin Christianis inserant, ne filioli mors, aut uxoris, aliquam tibi perturbationem adferat, vt hominem esse, quem ames, usquequaque memineris, crebro inculcat (e). Sed *pervulgata* est, neque nostris hominibus ignota *consolatio*: id ergo potius agamus, vt, *quantum in ea sit virium*, intelligatur.

§. 11. Viderunt philosophi, (*Lactantii* (f) verbis vtor,) *aliquid ex vero*: sed iidem, quicquid ex humanitate solatii petebant, hoc omne sua, de immortalitate animarum, dubitatione corruerunt. Vere *Anaxagoras*: *se genuisse mortalem*: idem diuino adflatu *Jobus* dixit (g) Recte *Tullius*: *homines nos vt esse meminerimus*: idem regius vates his ipsis, quos Deos vocauerat, recinit (h). Grauius *Sulpicius*: *Tulliae moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat*: idem ex antiquissimo DEI decreto discimus (i). Praeclare *Epietetus*: *puerulus obiit & redditus est* (k). Vtinam, Stoice, cui reddantur, scisses!

§. 12. Verum, *Sublata animarum immortalitate*, quid solatii hominis vocabulum habeat, ipsi fatentur. Haec enim tum erit vis subiecta: *moriendi necessitatem* pro solatio esse. Sed quantum haec consolatio proficiat, intellexit *Cicero*, quum eandem aliis atque aliis subsidiis fulcit; nec tamen satis resistere dolori potest: intellexit *Solon*, qui, cum extinctum flieret filium, dicenti: *at nihil proficis*, respondisse fertur, *propter hoc ipsum illacrymo, quia nihil proficis* (l). Qui vero *defensa animorum immortalitate*, bene suis an male post mortem eueniat? incerti, ex moriendi necessitate nihilominus solatium extricant, hi eodem argumento *inconsolabilem* orci dolorem (patiendi enim necessitas est,) *consolabilem* esse vicerint. Quo quid dici aut fingi potest absurdius?

§. 13.) Iam prope videmus, *frustra* esse, qui ex homine doloris sui medicinam quaerunt, nisi ista de *beata animorum immortalitate* ex intimis mentibus euellatur *dubitatio*. Dubitationem dixi: nam fieri non potest, vt bona fide *negare*, aut prorsus *ignorare*, qui ratione vtuntur, animorum immortalitatem possint. Sed mirari forte subeat, cur tanti homines, qui tota mente huc incubuerunt, praecipue *Tullius*, quem in omnibus fere philosophorum decretis volutatum nouimus, *explicare hunc aestum* non potuerint. Miserebimur potius, si verissimam *infelicis operae causam* ipsum, quamuis inscientem atque imprudentem, *Ciceronem* prodidisse, testimonio ipsius *Ciceronis* (quae certior fides?) confirmauero.

§. 14. *Duobus* hoc me, (aut tribus) ipsius *locis* effecturum spero: quorum alterum *Lactantii* verbis (quoniam is ad reliqua viam munit,) comprehensum dabi-

c) *Fam. Ep. 5, 16, 2.* quam totam legi velim.

d) *Fam. Ep. 4, 5, 11.* quam cum *Ep. Fam. 4, 6.* totam huc pertinere arbitror.

e) Vid. *Enchirid.* cap. 8. 10. 15. 19. 22. 28. 33. &c. Quae latius etiam & inflatius enarrat *Simplicius*.

f) *Inst. 7, 7, 2.* Docemus, nullam sectam fuisse tam deuiam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non *viderit aliquid ex vero*. Sed dum contradicendi studio insanunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subuertunt, non tantum elapsa illis veritas est, quam se quaerere simulabant; sed ipsi eam potissimum *suo vitio perdidit*.

g) *Iob. 14, 1* sqq. *7, 1*, sq.

h) *Psal. 82, 6* sq. *Pf. 90, 12.* *Pf. 39, 5* sq.

i) *Gen. 3, 19.*

k) *Iob. 1, 18.*

l) Vid. *Diogen. Laert.* in vita *Solonis*.

dabimus, alterum ex ipso Cicerone proferemus. *Lactantii* (m) haec habet verba: „*Tullius* (n) expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententiis, nescire se, quid sit verum, pronuntiauit. *Harum*, inquit, *sententiarum quae vera sit, Deus aliquis viderit*. Et rursus alibi (o): *Quoniam utraque, inquit, earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec, quid certi sit, diuinari potest*. Verum nobis diuinatione opus non est, quibus veritatem diuinitas ipsa patefecit. Haec *Lactantius*. Alterum contra se testimonium Cicero in oratione pro *Flacco* dicit: cuius caput *duodevicesimum*, de auri inuidia Iudaici, quanquam totum huc pertinet, tamen potiora excerpere satis habeo. „*Huic, inquit, barbarae (Iudaeorum) superstitioni resistere, seueritatis: multitudinem Iudaeorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro republica contemnere, grauitatis summae fuit, - - - Sua cuique ciuitati religio, Laeli, est, nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisque Iudaeis, tamen istorum religio sacrorum a splendore huius imperii, grauitate nominis nostri, maiorum institutis, abhorrebat. &c.*

§. 15. *Socratis* morti illacrymare *Tullius* solebat, *Platonem* legens (p): numquid ipse minus lacrymandus videtur, qui veritatem, infinitis pene laboribus quaesitam, quum iam iamque manibus quasi teneret, cum irreparabili animae suae iactura, penitus repudiauit? *Deus* inquit, *aliquis viderit, harum sententiarum quae vera sit*. Recte, *Tulli!* nam *humana opera* quantum proficiat, tute vidisti, qui acutissimorum hominum *scripta*, neque ipse ingenio hebes, legeras: tute in maximis tuis *luctibus* perspexisti. Sed tamen ille *DEVS* qui esset, quaerendum erat. *Romanorum* hoc deorum nullus vidit: non enim tu augur, *Jouis* interpres atque internuntius, id ignorasses. Neque *aliarum* a vobis deuictarum gentium dii hoc viderunt: omnes enim euocastis (q) *Romani*, & vestra ciuitate donastis.

§. 16. *Solus Iudaeorum DEVS* supererat: nec longe eius cognoscendi occasio fuerat. Tanta enim Iudaeorum *Romae* multitudo erat, vt metuedam, *Tulli!* putares. Quid igitur? si *solus* hic *DEVS*, quod nusquam gentium inuenisti, aperire potuit? quid si *solus* videt. Sed videte hominem veritatis subito desertorem, qui, cum in primis hominis esse propriam veri inquisitionem atque inuestigationem (r) credidisset, cum infinitas graecorum romanorumque de diis nugas legere, meditari, scribere ipsum non poenitisset, summum & vnice verum numen, quod imprudenti se obtulerat, ne quaestione quidem dignum putauit: de oraculis huius *DEI* aut interrogauit neminem, aut, si quid forte innotuit, neque lecta, neque cognita atque explorata, alto supercilio contempsit. Nam *barbaram superstitionem* vocat, atque *abhorrentem a splendore imperii, grauitate nominis, maiorum institutis religionem*. *HINC ILLAE LACRYMAE!* *Barbaram* tu vocas, quam ne primis quidem, vt dicitur, labris gustasti religionem? *Abhorrentem a grauitate romani nominis: quid? templo sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici (ita curiam describis vestram (s)) sanctissima DEI decreta non conueniunt? Joui* ista tuo, qui, *maechus* atque *incestus* (t), mores *Massilienses* colebat, diceres. Sed non uidisti, non legisti, non explorasti, quae sola videri, legi, explorari dignissima sunt, vnus atque summi numinis oracula. Tantum praemeditata poterat opinio:

m) *Inst.* 7, 8, 9.

n) *Tusc.* 1, 11.

o) Incerto libro: ideo in fragmentis Ciceronis haec scribuntur.

p) *De nat. deorum* 3, 33.

q) *Liv.* 5, 21. & 22. de euocatione deorum ex oppidis obsessis vide, quos *Fabri thesaurus* edit. recent. in voce *euocatio* citat.

r) *Offi.* 1, 4.

s) *Pro Milon.* 33.

t) *Pro domo.* 34.

t nrum

tantum stolidissima sapientiae persuasio! tantum vecors incogniti DEI (u) valebat contemptio!

§. 17. Immortales igitur DEO immortali, illi inquam DEO, quem veteris, quem noui foederis tabulae celebrant, quem ab omnibus coli gentibus, a singulis quaeri hominibus, fas erat, immortales huic DEO nostro habenda sunt grates, quod tam tetram, tam horribilem, tamque perniciosam, de animorum nostrorum immortalitate, dubitationem mentibus nostris exemit: quod clarissimi luminis sui splendore horrificas ignorantiae tenebras, horrendasque animorum umbras discussit: quod dulcissima verbi sui medicina, quicquid doloris, quicquid molestiae, quicquid miseriarum mortalibus potest accidere, ita sanat; ut mors ipsa, quae omnium rerum formidolosissima habetur, iam etiam vigentibus atque florentibus optabilis esse videatur. Hac itaque diuinae veritatis luce collustrati, si denuo iam, seu viuum quaeramus, seu mortuum, HOMINEM contuemur; tantum ubique amoenitatis spirat, ut, nisi, malis moribus homo ex homine exuatur (v), solatii plenissimum hominis nomen reperiamus.

§. 18. Discimus enim, ad sacrarum litterarum lumina conuersi, diuinam ANIMAE nostrae originem (vv): discimus eiusdem ad DEVM reuersionem (x): discimus lacrymas nostras condi (y): discimus; CORPVS nostrum, post actos vitae labores, dulci quiete saturari (z): discimus ossa nostra diuinitus custodiri omnia (a): discimus, idem corpus ex puluere excitatum (b), immortali gloria vestitum iri (c). Sed quis est, qui omnia DEI in hominem benefacta (d)? qui filium DEI hominem factum (e)? qui diuinam hanc consanguinitatem (f)? qui consanguinei DEI sanguine (at quanto pretio (g)?) redemptum ab orco hominem (h)? qui hominem DEI Spiritusque Sancti templum (i)? qui hominem diuinae sapientiae, omnipotentis sui Soteris (k), amoenissimam commorationem (l)? qui hominem filio DEI coheredem (m)? qui nunquam perituram & beatissimam hereditatem (n), non dicam exornare, sed verbis enarrare possit (o)? Qui horum se hominum esse non optauerit, cum ne hominem quidem putabimus. Quid illos dicam, qui haec tanta hominis bona flagitiis infamare (p); qui pedibus conculcare (q) non horrescunt? Sed suauissimas animi dapes harpyiarum (r) mentione contaminare parco.

§. 19. In haec paullatim, cum inexpectatus CHRISTIANAE FRANCISCAE HENRIETTAE obitus nunciaretur, saluberrimas veniebam cogitationes: quas ut diuina manus, his ipsis noui anni initiis, Serenissimi PATRIAE PATRIS animo clementissime infigat, omnibus votis precibusque omnibus, magnum solumque DEVM, per suam ipsius humanitatem (s), rogamus atque obsecramus. Nihil enim ad sanandos dolores efficacius, nihil ad minuendas vitae molestias opportunius, nihil ad augendam hominis dignitatem illustrius, nihil.

- u) Act. 17, 23.
- v) Cic. de fin. 5, 12.
- w) Gen. 2, 7.
- x) Kohel. 12, 7.
- y) Psalm. 56, 9.
- z) Dan. 12, 13. Apoc. 14, 13. Seneca trag. Thyest. 391. Stet quicumque voluc potens aulae culmine lubrico: me dulcis saturet quies.
- a) Psalm. 34, 21. Ier. 66, 14.
- b) Iob. 19, 25.
- c) Philipp. 3, 21.
- d) Gen. 32, 10. Psalm. 144, 3.
- e) Joh. 1, 14.
- f) Hebr. 2, 11 sqq. Matth. 12, 48 sqq.
- g) 1. Petr. 1, 18.
- h) Act. 20, 28.
- i) 1. Cor. 3, 16. 6, 19.
- k) Matth. 28, 18.
- l) Prov. 8, 31. Ephes. 3, 17.
- m) Rom. 8, 16.
- n) Apoc. 22, 5.
- o) 2. Cor. 12, 4.
- p) Rom. 2, 24.
- q) Hebr. 10, 29.
- r) Virg. Aen. 3, 212 sqq.
- s) Tit. 3, 4.

nihil ad fructuosam mortalitatis memoriam accommodatius est. Hoc regum sapientissimus, Salomo, (cuius laudem, perpetuum malum regum (r), *adulatio* vix cuiquam principum inuidet,) dudum monuit, cum *in lugentium, quam comissantium domos venire*, conducibilius ait (u). Quin DEVS ipse hoc videtur, praescripta, aut impressa potius, praecipuis Serenissimi PRINCIPIS nostri *arcibus mortalitatis memoria*, grauter imperare. Audiatur ergo, quae *humanitas postulat, sapientia suggerit, mortalitas exprimit, diuinitas iubet*, nostra, per FILIVM suum. CONSANGVINEVM nostrum, *vota* DEVS!

§. 20. TE vero ter beatam quaterque! CHRISTIANA FRANCISCA HENRIETTA! quam magnis hominibus, Serenissimo Nassouiorum PRINCIPLE, CAROLO, atque celsissima Saxonum Hsenacensium DVCE, CHRISTIANA WILHELMINA, sacrata coniugii fide parentibus, mortalem quidem, sed immortalitati, A. R. S. supra millesimum & septingentesimum, *tricesimo sexto*, die *decimo septimo* mensis Decembris *natam* laetabamur. Multo etiam magis TE, CHRISTIANA FRANCISCA HENRIETTA! sanguine IESV CHRISTI, filii DEI (v), ad spem beatae immortalitatis (vv), per fontem renouationis (x) sacrum, *renatam esse*, gaudebamus, Sed nunc demum, quum TE, CHRISTIANA FRANCISCA HENRIETTA! celeriter (y) peracto, quem diuina humanitas dederat, *cursum*, ereptam ex mortalium *diuersoribus*, incorruptamque, his voluptionum illecebris, *virginem* (z), ab amabilissimo *sponso* tuo (a), in *aureas* beatissimae vrbis *domos* humanissime *deductam* videmus, iure meritoque gratulamur.

§. 21. Quod reliquum est, ciues! suauissimam hanc CHRISTIANAE FRANCISCAE HENRIETTAE *memoriam*, cui humanitatis atque amabilitatis propriam fuisse laudem cognouimus, *die* mensis Ianuarii *undecimo*, *hora* post meridiem *prima*, in *auditorio* primae classis *superiori*, solempni ritu celebrare *constituimus*; simulque pro Serenissimo PATRIAE PATRE, pro Serenissima ipsius PROLE DOMOQUE vniuersa, publice *vota* nuncupabimus, DEVM rogaturi, vt *pios, sapientes ac felices*, ex *superstitibus* CAROLI & CHRISTIANAE WILHELMINAE *liberis*, nobis omnique Nassouiorum posteritati *principes* propagare velit.

§. 22. Hoc ager, die modo constituta, *Gymnasii* Reſtor: qui, per verba optimi SOTERIS nostri (*talium est regnum coelorum* (b)) refutatis *primum* illorum conatibus, qui nescio quem tenerae aetatis *statum medium* fingunt (c), *duplicatam maturae subitaeque mortis felicitatem* ostendet.

§. 23. Hoc agent, qui tempora nostra, statumque *Germaniae* nobiscum piis precibus votisque DEO commendabunt, bonarum artium alumni.

C

Fried.

t) Curtius. 8, 5, 6.

u) Kohel. 7, 3.

v) 1. Job. 1, 7.

w) 1. Petr. 1, 3. sq.

x) Eph. 5, 26 sq. Tir. 3, 5. sqq.

y) S. p. 4, 13 sqq.

z) 2. Cor. 11, 2. Apoc. 14, 4.

a) Apoc. 21, 2. cap. 22, 17.

b) Marc. 10, 14.

c) Virg. Aen. 6, 426. sqq.

Frieder. Carol. BARTH, Adolph-Eckensis, de optima re publica latine dicturus.

Georg. Reinh. MOEBVS, Bierstadensis, Serenissimo PRINCIPI NATALES gallice gratulaturus.

Jo. Sebast. KINGLING, Wisbadensis, discordiam graece dissuaturus.

Jo. Nicol. SPECK, Wormatiensis, pupillorum curam DEO hebraice vindicaturus.

Lud. Balth. THEISS, Visingensis, legitimum exemplorum usum germanice demonstraturus.

Jo. Casp. OTTO, Rodambergensis, pastores populorum, principes, carmine latino celebraturus.


Jo. Wilh. ANDREAE, Wisbadensis, Christianorum nostri temporis mores carmine germanico reprehensurus.

Frieder. Erdm. NOTTNAGEL, Wisbadensis, CHRISTVM JESVM bis natum latine ostensurus.

Jo. Godofr. WECHS, Walsdorffensis, adulationem latine improbaturus.

Christian. Frieder. FORST, Nassouiensis, repetitis votis gratias auditorum benevolentiae gallice acturus.

§. 24. Date igitur hoc, PATRONI, FAVTORES atque AMICI Scholae nostrae ac litterarum, quos omnes submitte, reuerenter atque humanissime inuitatos volumus, date hoc beatissimae CHRISTIANAE FRANCISCAE HENRIETTAE, date Serenissimae DOMVI NASSOICAE, cui optima quaeuis precari fas & pietas iubent, date afflictissimae GERMANIAE, cuius salute vestram stabiliri cognoscitis; date denique huic SCHOLAE nostroque amori, ut memoriae colendae, votorum faciendorum & pietatis vindicandae causa, quam frequentissimi ad haec SOLEMNIA sacra conueniatis. Quod ita vos rogo, ut maiore studio, magisque ex animo rogare non possim. P. P. Idsteinae Nassouiorum, nonis Ianuariis, A. R. S. MDCCXLII.



Trauer-CANTATE.

Vor den Trauer-Reden.

Klagl. Jer. 5, 21. Bringe uns HErr/wieder zu dir,
daß wir wieder heim kommen : verneue unsere
Tage, wie vor Alters.

A R I A.

In neues Jahr mit neuen Schmerzen
Tritt, armes Nassau, wieder ein.
Dein drittes in dem Todten-Schein:
Da zwischen vier kaum eins verstrichen,
Daß dir kein Fürstlich Licht verblichen,
Wo Freuden-Sackeln sollten seyn,
Da brennen wieder Trauer-Kerzen. Da Capo,

Recitativ.

Ach! Theurster Fürst!
Das Fest, so dich gebohren,
Hat nun fast allen Glanz verlohren,
Da du so offte betrübet und beraubet wirst.
Im dritten Monat vor dem Fest
Hat die, so dich zur Welt gebracht,
Erst vor vier neuen Jahren,
Den Abschied unverhofft gemacht:
Im zweyten musten wir vorm Jahr erfahren,
Daß dir dein Theurstes Ehgemahl;
Und nun im letzten Jahres Rest,
Starb, deiner Töchter ganze Zahl,
Die einzige geliebteste Christiane.

A R I A.

Eilt ihr so mit schnellen Schritten,
Zeiten unsrer Sterblichkeit:
Ach! so mache mich bereit,
Herrscher über Tod und Leben,
Daß, soll ich den Geist auffgeben,
Mich der letzte Todes-Streich
Finde, Gottes Kindern gleich,
Wenn ich hier genug gelitten,
In dem reinen Hochzeit Kleid. Da Capo,

Recitativ.

So starb
Die einzige Durchlaucht'ste Christiane.
Sie schwur zur Glaubens-Fahne
In der hochheil'gen Tauf;
Und führte ihren Lauf,
Mit JESU Blut geschmückt,
Mit JESU Geist beglückt,

Fünf Jahre.
Da Sie nun bis zum Lebens-Ende,
Und bis zur Bahre,
Treu, wie es war versprochen,
Den Bund gehalten, nie gebrochen;
So nimme ihr Bräutigam
Den sanfft-geschiednen Geist in seine Hände.

A R I A.

Jesu laß mich auch so sterben.

Nehme durch ein sanftes Ende,

Meinen Geist in deine Hände.

Ach! der Wunsch ist fast zu spät:

Denn ich hab zu oft gebrochen /

Was ich in der Tauff versprochen.

Doch mein Heiland weiß noch Rath,

Petrus sollte nicht verderben;

Thränen sind mein andres Bad.

Da Capo.

Nach den Trauer-Reden.

Matth. 18/3. Wahrlich Ich sage euch: es sey dann, daß
ihr umkehret, und werdet wie die Kinder, so werdet
ihr nicht in das Himmel-Reich kommen.

A R I A.

Ich geb's noch nicht verlohren!

Die Kinder: Demuth sieget /

Die nach der wohlempfundenen Zucht,

Des Vaters Gnade wieder sucht,

Und stets mit Weinen lieget

In Gottes Ohren.

Da Capo.

Recitativ.

Das Umkehren ist uns hier gebotten,

Ja selbst die Grufft

Der seligsten Prinzessin rufft:

Ach! kehret um, verlauffne Sünder,

Und werdet wie die Kinder.

Gott läffet sich nicht spotten:

So eilet dann,

Eh Euch der Bann

Und Tod schnell übereilet.

Und kan euch die Gefahr nicht schrecken,

Die über eurem Haupte schwebt;

So laßt Euch doch den Glanz erwecken,

In welchem Christiane lebt.

A R I A.

Führ uns, reiner Geist der Wahrheit,

Führ uns in die güldne Stadt,

Wo in überird'scher Klarheit

Christiane Wohnung hat.

Unsers Fürsten Herz und Haus

Heitre dieser Vorblick aus!

Da Capo.

Schluß-Choral. O Jerusalem, du Schöne, 10. v. 7. und 2.
Aus dem Lied: Alle Menschen müssen sterben.